

05

A

2399



ubl
ur.



1906 GW 6166
Q. B. V.

53

EX HISTORIA ECCLESIASTICA,
DE

JOHANNNE VIII.

PONTIFICE Opt. Max.

Qui fœmina fuit sexum mentita;

in
Electoralia ad Albim Academia,

D. X. Febr. A. R. S. M DC XCII.

Horis antemer. in Auditorio Majori,

disputabunt

PRAESES

M. CHRISTOPH. CHRISTIAN.

HAENDELIUS,

Facult. Philos. Adjunctus,

ET RESPONDENS

JOHANNES MARTINUS BEER,

Onoldo-Francus.

WITTENBERGAE,

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII.





SUMMORUM
Inclutæ atque Liberæ S. R. J. Civitatis
Ratisbonensis
VIRORUM

05 A 2399 Trigæ,

Magnifico, Prænobilissimo, Amplissimo atque Prudentissimo

DN. THEOPHILO WILDIO,
Consulari Reipubl. Seniori, Fori Hansici Comiti Specta-
tissimo, Ven. Consist. Præsidi meritissimo, atque Proto-
Scholarchæ gravissimo,
nec non

Maximè Reverendo Amplissimo, atque Excellentissimo

DN. M. GEORGIO WONNÆ,
Ecclesiæ orthodoxæ Pastori ac Superintendenti vigi-
lantissimo, S. Synedrii Assessori dignissimo, Scholarchæque
gravissimo,

ut &

Prænobilissimo, Amplissimo atque Prudentissimo,

DN. JONÆ PAULO SEBALDI,
Consulari Reip. Spectatissimo, Ærarii publici Directori
dignissimo, & Ven. Consist. Assessori gravissimo,

*Patronis suis summis, Mæcenatibus, Evergetis,
ac Promotoribus, omni pietatis atq; observantia cultu,
aternum prosequendis,*

Primitias hasce Academicas, in observantissimi
cultus tesseram, ulterioremque studiorum suorum
commendationem

humilime offert

JOHANNES MARTNUS BEER, On. Fr.

Phil. & SS. Theol. Stud.



F. N. F.



Non divinò solùm , sed & naturali jure obsequii gloriam relictam Fœminis esse, inter omnes satis constat. *Debet habere mulier potestatem super caput suum, docet Apostolus, 1. Cor. I. v. 20. Quicquid masculinum, magis factum ad imperandum, quàm quod fœmineum est, Aristoteles ait, Lib. I.*

Polit. c. 8. *Γυναικὶ ἀρχὴν ἔδιδωκεν φύσις*, inquit Menander. Et Plin. IV. Nat. Hist. c. 3. *Natura hunc ductum ipsa bruta sequi, ostendit, quæ ita vivunt, ut mares fœminis imperent. Mollis enim & incautus est hic sexus, Chrysost. hom. 23. in Matth. refert. Cui convenit illud Tullii pro Cluent. Abundat mulier audaciâ, consiliò & ratione destituitur: Unde & Maro, Varium, inquit, & mutabile semper fœmina; nec non Propertius: nulla diu fœmina pondus habet. Ipse Conditor noster Deus pectus nobis instruxit dolis, sed vim negavit, fatetur illa apud Senecam in Octav: אֵין סוּר בְּנֵי שָׂוִי* Rabbini frequentissimè usurpatur. Certè inter Leges Fundamentales Regni Gallici est ea, quæ vetat, *ne Virgo, neve mulier ad regni hereditatem admittatur, sed Agnatus defuncto Regi proximus, quamvis gradu fœminâ posterior, ei tamen præferatur. Nec verò aliud in conferendis muneribus Ecclesiasticis observari ex Sacris Canonibus patet. Quid? quod Scriptura à publico docendi officio disertissimis verbis sexum fœmineum removeat, 1. Cor. XIV. 34. 35. 1. Tim. II. 11. & seqq.* Nihilominus tamen circa me-

A

dium

dium Seculi, à Christo nato, Noni, postquam *Leo IV.* Pontifex rebus humanis interesse desiit, foeminam quandam in locum electam, *Johannis VIII.* sibi sumfisse nomen, & clavum tenuisse per annos duos, menses quinque, & dies quatuor, tandemque partus, per ultimum scelus ac immortale dedecus quaesiti, doloribus extinctam fuisse, literarum monumentis proditum est. Atque rem omnino ita evenisse, ab omni illo aëvo, quò contigit, ad praesens usque temporis momentum, credidère Viri cordati, sapientes, & ad miraculum docti; credimus & nos indubii, & citra trepidationem defendere sustinemus, inducti argumentis omni exceptione majoribus, ac ita profectò comparatis, ut historicam progenerare fidem, mererique assensum, qui sensum habent, omnium nullo negotio possint.

II.

Inter rationes, quæ maximum nostræ sententiæ afferre possunt, primum locum ei attribuere placet, quæ tot tantorumque Virorum, summâ auctoritate, incredibili eruditione, dexterrimâ fide, nominisque non intermorituri valentium famâ, elegantissimis suffragiis firmissimè innititur. Etenim, quamvis utique illud à nobis vehementer procul absit, auctoritatibus quàm maximè pugnare, contemnendæ tamen illæ hautquaquam sunt, cum omnino verisimile non sit, summa inter Eruditos ingenia, omnium rerum artiumque accuratissimâ cognitione mirum in modum exulta, tam insigni credulitate ingentia animi dona corrupisse pariter ac defœdasse, ut fabulæ cuidam, nunquam satis probatæ, consensum suum faciles, ac non deliberatò antè, penitusque perspectò consiliò, præbere temerè haut fuissent veriti, incerti que rumoris aurâ captatâ, absurdam rem, & apertum mendacium latius spargere in vulgus, piorumque hominum & simplicium corda tantâ levitate occupare; maximè, cum
nullam

nullam mentiendi causam habuerint, atque amor eos, aut odium, aut invidia, aut spes, ut hæc talia confingerent, adeò non impulerint, ut inviti potius propriam turpitudinem, dedecusque in ipsorum recidens caput, fateri, ultimâ necessitate, rerumque gestarum manifestâ adducti evidentiâ fuerint. Stant autem pro nostra causa magnò numerò, Viri graves, religiosi, Venerabiles, Eruditi, constantes veritatis Defensores, ab omni ullius mendacii suspicione planè immunes ac liberi, sanctissimò prætereâ pietatis sacramentò Romanæ Sedi adstricti, Archi-Episcopi, Episcopi, Cardinales, Pœnitentarii, Sacerdotes, Monachi; omnisque denique conditionis, ac generis, diversissimi status, summæque dignitatis homines, ut proinde nihil minus nobis, quàm multitudo gravium fideque dignissimorum Auctorum in præsentî negotio desit. Princeps prodeat *Martinus Polonus*, Monachus Ordinis Prædicatorum, Pœnitentarius Nicolai tertii, Pontificis, postea Archiepiscopus, ut quibusdam placet, Gnesnensis, ut aliis Consentinus, qui perspicuè satis, & quàm cœteri, prolixius, de veritate hujus rei disseruit. Priores tamen *Martini* hujus ætate deprehenduntur, *Rudolphus Flaviacensis*, *Marianus Scotus*, *Sigebertus Gemblacensis*, *Gothofredo Viterbiensis*, *Otto Frisingensis*, & plures alii, inter quos nemo unus est, quin bonâ fide accidisse ita rem, quam nunc affirmandam nobis sumimus, testetur, multòque probet pondere. Horum contenti suffragiis acquiescere jure meritoque possemus, nec opus foret retrò ire longius, ac altius inquirere in facti clarissimam originem. Nihil enim faciunt aliud, quàm ut singulare impudiciæ exemplum præbeent, qui certam rem ac apud optimos quosque indubitatam ideò in ambiguum vocant, imò & audacter ferociterque negant, quia scilicet oculatus testis scriptorq; æqualis deficit. A loco Testimonii ratiocinando negatè procedere, præsertim in historicis, non licet. *Ranulphus* certè in *Polychronico* L. V. c. XXXII. datâ operâ *Papissam* à plurimis fuisse præteritam, scribit, ne quâ ignominia labe sedes inde aspergeretur.

geretur. Cui consentit citatus ante *Martinus Polonus*, tam existimans, propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti, in *Catalogo Pontificum eandem non poni*. Idem animi *Trithemio* est, qui, nonnulli, ait, foeminam illam inter Pontifices ponere noluerunt quasi indignum facinus abhorrentes. Quod si eò usque dementiæ proficiscimur, ut seriò arbitremur, non mereri fidem nostram quenquam alium, nisi, qui suis ipsis oculis, suis usurpârit auribus, quæ commemorat, actum est nobiscum, majoriq; universæ historiæ & sacræ & profanæ parti summa labe & indeterminabilis incertitudo imponitur. Per cunctas humanæ vitæ scenas, veterisque ac remotioris ævi æterna monumenta curiosos circumferenti oculos, legentiq; attentè ac annotanti sedulò, quo in statu à principio rerum ad hæc usq; tempora versata sint mortalium negotia, quibus nexibus ac rotis ingens iste fati humani orbis volutatus fuerit, patebit haud obscure, aut dubitandum esse de omnibus, aut credendum, sedisse aliquando Pontificis in folio, Angelis, (si Dis placet) sanctè reverenterq; habendo, turpissimum scortum, detestabilem bestiam, foeminam impudentissimam, ad omnis posteritatis ætatisq; memoriam insignem. Neque verò putandum est *Rudolphum Flaviacensem*, & qui nominatim citabantur, alios, muliebrem hunc Pontificatum non accepisse ab Antiquioribus. Sanè *Marianus* noster, qui annos, menses & dies accuratissimè definivit, rectissimè creditur hanc suam notitiam idoneis Auctoribus debere, è quibus dicta hausit. Scotiam enim, Patriam sedem, cum Germania mutavit, satisq; diu in *Coloniensi* & *Moguntino* Cœnobio *Monachis Benedictinis* habitabili, in *Fuldensi* etiam, ob instructissimam Bibliothecam cum paucissimis comparando, vitam ducenti non deerat occasio, observandi accuratè, quæ vetusta rerum monumenta componentes in scriptis suis subsequituris nepotibus reliquerunt. Ex quibus fluxisse ea, quæ summus *Vir de Papissa* memoriæ prodidit, tantum abest, ut dubitemus, ut potius utroque pede in hanc ipsam eamus sententiam,

tentiam, satis gnari, nihil privatim, nihil publicè stabile esse, tam hominum, quam urbium fata volvi. *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, & inter peritura vivimus*, Seneca dictum est Epist. XCI. 15. Injuriã igitur temporis factum esse percensemus, fortassis & fraude eorum, quorum haut parùm intererat, ne vera historia esset, ut propius ad ætatem rei accedentium scripta nostro subducta visui sint. Quo ipso tamen nihil Adversariorum rationibus consulitur, nisi, ut ante dictum, omnis historiæ & antiquitatis veritatem infirmissimo niti fundamento absone pronunciare velimus. Nunc autem, cum & illud certum, planeque fide nostrã Bonorumque omnium dignum existat, fuisse reverã *Anastasi* Bibliothecarii Romani, συζητής sedentis per scelus foeminae MSS. duo in Heidelbergensi asservata Bibliotheca, in quibus tota res, prout gesta erat, dilucidè narrabatur, quid quãso consilii supererit Pontificiis, quò fugient tandem, ut colorem injustæ negationi reperire possint? Videat illa MSS. legitq; Vir in historicis aliisque rebus maximè sedulus & diligens, *CL. Salmasius*. Adde huic *Marquardum Freberum*, cui similem ullum seculum daturum esse propemodum desperat ipse Celeberrimi nominis *Lipsius*. Provocat ad Codices illos uterque, indignus profectò, cui fides denegetur ab Eruditis, cum & Gallus Scriptor, *Launojus*, Vir sine dubio illustris, non audeat ire inficias, legi historiam in citatis MSS. quamvis Idem Tom. II. Epist. ultimã non erubescat rem omnem ambiguitatis accusare falsitatisque. Fatetur etiam *Blondellus* pag. 45. vetustiores Anastasii Codices passim in Gallia, Germania, Anglia, Italia, Hispania & Belgio mutilos esse lacerosque, ac Vita Leonis IV. finiri, cujusmodi etiam Lutetiã, in Regiã Bibliothecã, unum & alterum se vidisse, asserit *Maresius*. Unde nostræ sententiæ novum nascitur robur, quoniam dubitatio non est, quin id Vulneris ab hostibus Veritatis, quorum existimationi rei tam obscenæ mentio obstabat, dictis voluminibus sit inflatum.

Aperiant ad hoc spectaculum oculos, qui diversum à

nobis sentiunt, arrigant aures perfricatæ frontis homines, discantque ad ultimum mendacio hîc non esse locum, cum veritas invictis semper militet armis, quantacunque etiam vis gentium in ipsam conspiret.

III.

Satis autem admirari non possum, sex seculorum decursu, repertum fuisse neminem, qui sanâ mente præditus tantum habuerit iudicii sedulitatisque, ut in veritatem historiæ inquiret, deque eâ cognosceret penitus. Credendum igitur est, sapientissimos homines, quorum acies ingenii ea etiam, quæ occultissima sunt assequeretur, hâc unâ in re defecisse, ad unum omnibus inauditâ planè, ac vix credibili simplicitate captis excæcatisque. Scilicet Majores nostri consiliò ac industriâ nihil quicquam potuerunt, à quibus tamen quicquid ferè Eruditionis & Sapientiæ hâc tempestate superest originem suam ortumque trahit. Equidem agebant interdum, fateor, superioribus temporibus Musæ, neglectæ ut plurimum ab iis, qui fovere eas, ut maximè poterant, ita maximè debebant. At verò omnes disciplinas liberales, omniaque studia elegantiora vastissimis tenebris ita fuisse involuta, ut nihil solidi, nihil veri amaretur ac illustris, quis affirmaverit unquam, cui sensus nondum excusus omnis est? Multum itaque profectò præstamus Parentibus nostris sapientiâ iudicioque: quibus quippe illud luminis per sexcentos, & quod excedit, annos, nunquam ab immortalis Deo permittebatur, ut cernere potuerint, quantâ imbuti essent ac decepti credulitate, quibus fides facta fuit, ad istam dignitatē, quâ sublimius aut præstantius inter homines nihil est, & infra quam cæteræ constituuntur omnes, impotentem elatam mulierem esse. *Franciscus* certè *Petrarcha*, clarissimi apud Eruditos nominis, in *Chronico Italia Scripto*, Florentiæ A. R. S. cl. CCCCLXVIII. excuso, gravissimus nostræ causæ testis est. Cui assentitur *Job. Bocatius* in Lib. de CL. Mulieribus cap. ic. & sexcenti alii, qui, ut aliarum rerum acerrimi Investigatores, suspectarumque Cen-

fores

sores severissimi fuerunt, ita haut facile dixerim, hic eos destituisse non curam modò, sed & pietatem omnem rationemque. Primus, nã fallor, *Aventinus* erat, qui, Lutheri demum ætate, verissimam sententiam impugnare aggressus est. Ipsi *Bellarmino* App. de summo Pontif. c. X. *Auctor* dicitur *parùm probatæ fidei*. Dignus tamen, cujus castra secutus fuerit *Onuphrius*, *Baronius* item Annal. X. ad An. 853. aliique, novandis potius, quàm gerendis demonstrandisque rebus aptiores. Solet enim ita venire usu, ut sibi persuadeant haut parùm multi, ad amplificandam ipsorum famam vehementer pertinere, ejusmodi amplecti opiniones, quas cum paucissimis communes sibi esse intelligunt, quia, quod multi nôrunt, docentque, vix egregium dici posse, falsò arbitrantur. Quid? quod Pontificiis nulla alia perniciosior pestis esse videbatur, quam hæc ipsa de muliebri Papatu sententia, ut proinde rebus suis prospecturi, cum non aliò tutius possent, ad mendacia confugerent, omnemque Historiam in lubrico stare, & ancipitem maximoperè esse, contenderent, mox & negarent propalàm, illud, quod vulgò usurpatur, in suos usus egregiè vertentes: *Si fecisti, nega*. Enimverò, quis nescit, in universo Historiæ studio, satius longè, commodiusque esse, iis, si adsunt, & haberi possunt, adhibere fidem, qui rei gestæ, proximi fuerunt ætate, factumque vel oculis percepere, vel certis traditum Auctoribus, in sua retulerunt scripta, nullâ vel spe accensi, vel timore corrupti, vel adacti necessitate, quàm quos longo temporis intervallo à facinoris memoriâ remotos non novitas tantùm, sed & privata imprimis utilitas, & præter hanc rationes complures aliæ, suspectos reddunt, temerariosque. Verùm quid multis verbis opus est? cum res pro se loquatur ipsa, ac intuentibus utriusque partis in utramque rationem adducta argumenta satis superque liqueat pro nobis stare inexpugnabilem veritatem, quantumcunque etiam se torqueant Adversarii, quantisque dolis utantur atque artibus, ut clarissimæ rei spississimas nubes, densissimasque offundere tenebras & perpetuam ad ultimum noctem afferre queant.

IV.

Quod si historiam vel pauci, vel unius duntaxat Gentis, Scriptores in publicum emisissent, cum posteritate eandem communicaturi, ambigi fortassis adhuc posset de certitudine rei. Jam autem, cum in expedito sint Romani, Galli, Hispani, Germanique, omnis doctrinae genere conspicua capita, ingenti etiam numero, imò nec Græcos desideremus Hebræosque, qui suis in scriptis corruptæ mulierculæ, Pontificis scilicet O. M. mentionem faciant, ut, multiplicatis per orbem terrarum Exemplaribus? ad notitiam omnium Gentium, omniumque seculorum acta divulgentur; quis amplius dubitet, omninò ita esse, quæ tot, tamque egregii Viri literarum monumentis nobis reliquerunt, Ordine omnes recensere, nec facilè & supervacaneum est. Aliquos tamen supra nominasse, & jucundum nec inutile fuit. Singulorum autem propemodum nomina legi possunt *ap. Gerhard. L. Theol. Tom. V. in L. de Ecclesiâ, p. 382, 383, 384. Calixtum in Tr. de Conjug. Cleric. Dav. Blondellum, Wolffium in Lect. memor. &c.* Illud tamen vitio nobis nemo vertet, citare adhuc *Huldricum Hutenum*, qui, annis abhinc centum & cum septuaginta uno, Epistolam antiquam sanè & perveterem, Parisiensis, Oxoniensis & Pragensis, Academiarum, in manus emisit hominum, in quâ legere est: *Johannes, Successor Leonis IV. cœpit circa A. D. 854. & sedit annos II. menses V. fœmina fuit & in Papatu impragnata.* Constantiæ quoque Helveticò scriptum idiomate Chronicon, tredecim complexum secula, asservari, pro comperto est, cujus verba lepida satis atque ridicula hæc sunt: *Ein Weib / hiesse Johannes / von Mens / was Pabst / und starb an einem Kind / hat Sie mit einem Cardinal gemacht / Anno Dni. VIII. CLV.* Abhorrent forsitan moribus nostris, & tempora & Ingenia cultiora sortitis; sed, ut possit oratio barbara incultumque dicendi genus sperni, tamen fides nostra non debet, quia utcunque tradita, incorrupta pertulimus. Hic verò nequaquam nobis *Job. Pierius Valerianus*, Latinus Scriptor, nostroque *σύγγραμ* & *Θ* *Luthero*, immor-

tali

tali viro, & nunquam sine sacro Religionis horrore nominando, excidere & prætermitti silentio debet. Ille in Declam. ad Cardin. Hippolitum Medicen, barbarum, quas sacerdotes alerent, patrocinium in se suscipiens, ita loquitur: *Quid aliarum Gentium damna, culpasve commemoremus, cum domi opprobria conspiciantur, quæ de Barbarum odio perpetuam supremo sacerdotum ordini ignominiam pepererunt.* Eò enim aliquando nostrorum delicia processerunt, ut hujus rasitationis ergò, confusâ quodammodò specie, difficulter Vir à fœmina internosceretur; hinc accidit, ut mulier, (si vera est, quæ per omnium ora fabula circumfertur) in sempiternum SS. ordinis opprobrium ad solii Pontificii Majestatem eveberetur; in cujus facti memoriam Romani adhuc locum intentò digito indicant, ubi summa illa Sacerdos, Pontificalem induta trabeam, enixa peperit; Quod ne rursus accidere possit, inde institutum, pleriq; omnes credunt, in novi Pontificis ingressu eam majorum nostrorum imprudentiam publicare. In totius populi conspectu pro D. Johannis suggestu, qui latisimam & eò solenni Sacro omnium nationum gentibus confertissimam arcam despectat, cogitur novus Pontifex viritatem locupletissimis testibus approbare, resq; ipsa sacri præconis voce palàm promulgata in acta mox refertur, legitimumq; tunc demum Pontificem habere nos arbitramur, cùm habere illum, quod habere decet, oculatâ fide fuerit attestatum. At enim prodeant & illi, qui remotissimas à nobis, alioque calentes sole inhabitant regiones, ubi alius Lucis aspectus, alius cœli haustus esse creditur. De his *Laonicum Chalcocondylam* Lib. VI. de rebus Turcicis p. 411. planissimè cum *Pierio* conspirantem allegabo, qui ritus, in Pontificum electione suò tempore observatos, traditurus, ita post alia disserit: *Pontificem jam pronunciatum, insidere jubent Cardinales sedili foramen habenti, ut testes ex eo propendentes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, quò appareat Pontificem Virum esse.* Nam constat, *Mulierem quondam in Pontificatum esse subvectam,*

B

quia

quia sexus ignorabatur, nam Itali Occidentales penè omnes barbas radunt. Cùm autem illa mulier gravida, esset facta & ad festum s. Sacrificium prodiisset, peperit infantem inter sacrificium in conspectu universi populi. Quapropter ne decipiantur iterum, sed rem cognoscant, neque ambigant, Pontificis creati virilia tangunt, & is, qui tangit, acclamat: Mas nobis Dominus est. Neque longiore silentio premendus est Barlaam, clarissimus Monachus, Auctor Dialogi de Principatu Papæ, in quo Johannis VIII. foemina nostræ non fuit oblitus. Ne autem perpluat, subjungimus hisce nobile Judæorum par, R. Abraham, Jacuthin Fuchesim, & R. David Gans in Zemach-David. De illis, qui hodiè vivunt, ac ita agunt, ut ob res præclarè gestas, Virtutesque planè incomparabiles immortalitati suæ intersint, monere non est opus, cùm neminem ferè, puriori imprimis nobiscum Religioni addictum, meminerim, cujus cogitatio nostræ sententiæ contraria sit. Illustris Polyhistor, non Academiae modò, sed & ævi hujus insigne honestamentum, imò omnis ætatis & memoriæ clarissimus Professor, C. S. SCHURTZFLEISCHIIUS, causæ nostræ præpotens Patronus est. Adde, qui jure suo meritoque primus omnium memorandus nobis fuisset, Job. Christoph. Wagenfeldium, Affinem, Patronum, Præceptoremque nostrum, eximiâ charitate ac summò perpetui honoris cultu ætatem prosequendum, cujus multiplicem, ac inusitatam planè eruditionem, qui intueri rectè possunt, non admirantur equidem, sed stupent. Profectò, quoties recordatio animum subit, tot mellitorum prandiorum, tot cœnarum Platoniarum, quas cum ipso partitus sum, quæque haut rarò sapuerunt in alterum diem, incredibili perfundor lætitiâ, precarique diligenter soleo, ut Veterem Doctorem & Hospitem, pro laudatissimâ humanitate & candore suo, fortuna secunda perpetim foveat in sinu, lætissimòque semper cogitationum beet exitu,

tu, ac vitæ eundem ipsi, quem gloriæ finem statuatur.
Provocat Celeberrimus Vir, in Prælectionibus, quas
super hoc negotii, annos ante septem, pro more suo,
eruditissimè instituit, ac absolvit feliciter, ad consen-
sum universæ, cujus decus ipse & Lumen est, *Acade-*
mia Norica, observantissimè mihi, æternâque pie-
tate devenerandæ: nisi fortè & hîc illud valeat: oportet
Unum esse in civitate, qui insaniat. At præoptandum
est, errare cum Sapientibus, quàm cum iis rectè senti-
re, qui ex absurdissimis distinctionibus, quas cum la-
cte nutricis, credo, imbiberunt, in solidum compo-
siti, præceptisque sortiti ingenium, atque ex ancipiti
temporum mutatione pendentes, nec velle aliquid, nec
nolle diu possunt. Latisimè igitur hujus rei veritas dis-
seminata est, nec per Italiam solùm manavit, verùm
etiam transcendit Alpes, nec obscurè serpens plurimas
jam Provincias occupavit. Opprimi certè dissimulan-
do, ac negando nullò pacto potest, manifestumq; est,
omnem curam ac diligentiam quorumcunque demum
Adversariorum infractum iri, per unanimem consen-
sum tantorum virorum, quos utut fortuna, longissimò
terrarum ac temporum spatiò, quàm maximè sejunxe-
rit, veri tamen amor, factique infallibilis certitudo,
immane quantum univerit, & nescio, an ullâ aliâ in
re, una adeò eademque omnium vox sit, qualis est:
Fuisse reverà ignobile scortum, impudicissimam foemi-
nam, Supremo potitam Pontificatu, in perpetuum Ro-
manæ Sedis dedecus, ac ignominiam nullis rationibus
eludendam.

V.

Cui sententiæ quantum roboris momentique ac-
cedere

B 2

Dan. Guil.
Mollerg est.
Verùm retracta
vit Händelig
durig hoc effatum

cedere putandum est , quod in *Concilio Constantiensi*,
Seculo post natum CHRISTUM XIV. cum acerrima
ageretur censura , & quanta esse maxima potest, disqui-
sitio institueretur in omnia singulaque , quæ *Job. Husse*
scripta continuerant , nemo tamen ausus fuerit illud
criminari , quod Libro de Ecclesiâ cap. 7. & 13. Johan-
nem VIII. foeminam fuisse , sexum mentitam , haut sa-
nè trepidus affirmaverit. Certè rigidius examen vix ul-
lum scriptum aliud expertum fuit , nec tamen inter
iniquissimos piissimi Viri inimicos vel unus erat ali-
quis , qui publicè factam odiosissimæ Historiæ assertio-
nem vitio ipsi verteret , manifesto indicio, sustinuisse
neminem , quod ipse crederet , negare. Cui argumen-
to magnam inesse vim nullus non videt, qui oculos be-
nè aperit.

VI.

Taceo consensum majoris hominum Romæ viven-
tium partis , qui in præsentem usque diem , quamvis
inviti , liberè tamen , si ingenui esse cupiant , faten-
tur; factum in urbe , inaudito antea flagitio, ut post di-
midiatum seculum nonum sanctissimam Petri Cathe-
dram impurissima conscenderit mulier, quæ Cardina-
lis cujusdam amori illicito adhærens , compressu ejus-
dem gravida facta, partum tandem , quò nulla denique
facies deesset sceleris , publicè enixa, impiam efflavit
animam , nominis famam inusitato facinore , adque o-
mnem posteritatem memorabili, seræ committens im-
mortalitati. Tanti piaculi locum Clerus urbanus ju-
stissimâ indignatione commotus , execrandum posteris,
imò ne visu quidem dignum judicavit. De quo *Boca-*
tius loc. supra citato , sequentem in modum scribit:
Ad

Ad cuius (facti) detestandam spurcitiem & nominis
continuandam memoriam in hodiernum usque diem,
summi Pontifices, Rogationum cum clero & populo sa-
crum agentes, eum locum partus medio itinere positum
abominantur, eo amisso declinant per diverticula Vicos-
q³, & sic loco detestabili posttergato reintrantes iter per-
ficiunt, quod cœpere. Declinatae hujus viae Antonius
quoque Episcopus Florentinus, Vir probus & prudens,
ab Adriano VI. Sanctorum receptus in numerum, me-
minit. Idem & Martinus Polonus facit, quem ideò
rursus nomino, quia Papæ Pœnitentiarius erat, mul-
tòque tempore in urbe exacto, ex visis sibi planeque
observatis efficaciter comprobare poterat, quæ tot aliis
ante ipsum de Johanne narraverunt.

VII.

Nolo esse prolixior in commemorandis aliis vetu-
stissimis varii generis Monumentis, Sepulturis, Imagi-
nibus, Statuisque, eum in finem, in media Italia, in
celeberrimis ejusdem locis, in augustissimis templis æ-
dibusque conditis & erectis, ne aliquando illa existat
dies, illa apparere lux possit, quæ tam notabilem rem
obscuret vetustate, memoriamque ejus ex animis ho-
minum deletam, oblivione exstinguat aut oblitteret,
finitaque in perpetuum. Veritas rei nuda videri amat,
probationum adscititarum haut indiga. Quamvis igi-
tur nulla nos cogat necessitas, ire longius, ac ea etiam,
quæ qualemcunque auxilii speciem ferre nobis videri
possunt, avarâ ac insatiabili manu colligere, non ta-
men incongruè facturos nos esse arbitramur, si illud ad-

huc tetigerimus, cuius non *Chalcocondylas* tantum, sed
& *Brewinus*, & præter hunc *multi alii*, meminerunt.
Nimirum in Porticu Lateranensis Basilicæ, Sellam quan-
dam, quam nunc vulgatò nomine Stercorariam Pon-
tificii dicunt, perforatam in medio, hodiè adhuc dili-
genter custodiri, datoque pretio, inter rara urbis iter
eò facientibus ostendi, pro comperto est, additâ simul
origine ejus ac usu pristino, qui hic erat, ut, solitis ce-
remoniis legitimè electus antea Pontifex, imò corporis
velamentò remotò, insideat sellæ, pudoremque suum
Diacono cuidam vel aliis perspectæ fidei Viris, quibus
id muneris dabatur, ad tactum profanet, ne, quod in
Johannis Electione accidit, denuò contingat, atque ita
sempiternæ turpitudinis macula sanctæ Ecclesiæ inusta,
inveterascat penitus. Hanc quidem superesse sellam
negat *Calixtus*, sed fallitur in eo Vir aliàs sine dubio
Summus. Contrarium enim ab illustribus Viris, à qui-
bus abest longissimè omnis mentiendi suspicio, accepi-
mus, quos tam credulos fuisse, ut ejusmodi admitte-
rent, referrentque, nisi suis omnia accuratè perlustrâs-
sent oculis, nemo existimârit, qui aliquid adhuc vere-
cundiæ habet. Consuetudinem autem illam exploran-
di Pontificis sexum, exolevisse hodiè, adeo non in-
ficiamur, ut *Johannis Pannonii* versus, rationem cessa-
tionis falsè explicantes, huc transcribere cordi sit. Isti
verò ita habent:

*Petre Tuâ quædam fuit ausa sedere Cathedrâ,
Orbi terrarum jura ferenda dedit.
Quæ compressa quidem multos latuisset in annos,
Facta foret partu nî manifesta novò.*

Post

*Post hæc Roma diu simili sibi cavet ab astu,
Pontificum arcanos querere sœveta sinus.
Nec poterat quisquam referentes æthera claves,
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat?
Ante probat quod se quilibet esse marem.*

Idem de Paulo II. ita inquit:

*Pontificis Pauli testes ne Roma require,
Filia, quam genuit, sat probat esse marem.
Sanctum non possum, Patrem Te dicere possum,
Cum video gnatham, Paule secunde, Tuam.*

Superaddit de Innocentio VIII.

*Quid queris testes, sit mas, an fœmina, Cibo?
Respice natorum pignora certa Gregum.*

Ad ultimum de Lucretiâ:

*Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri Filia, Sponsa, Nurus.*

VIII.

Plura dicere non attinet: satis enim arbitror argumenti esse ac causæ, cur abduci nos à verâ sententiâ non patiamur. Et quanquam Celebris aliàs, Clarissimusque Scriptor, *Davidem Blondellum* puto, improbò labore & maleferiatâ industriâ aliud evincere conatus fuerit, oleum tamen simulque operam perdidit, refutatus abundè à *Samuele Maresio*, peculiari quâdam dissertatione, cui titulum fecit, *Papissa Restituta*. Evidentiam argumentorum agnovit sanè, *Animadversionum Chronologicarum in hanc ipsam Papissam Restitutam Auctor*, quoad Chronologica tantùm imparem huic oneri *Maresium* pronuncians, utpote qui minus rectè
ani-

animadverterit, præcipuum *Blondelli* argumentum in
continuâ concatenatâque Imperatorum & Pontificum
successione consistere, ita, ut mulierculæ nullus locus
relinquatur, nec convenire ullô modô cum temporum
ratione anni possint, quos eidem attribuant. At
verò, quid ferè incertius Pontificum computatione
est? quid tot difficultatibus implicatum? Ipse *Onuphri-*
us ad *Platinam*, in vitâ *Nic. I.* *Quum sequentes*, di-
cit, *Pontifices à Nicolao I. usq; ad Clem. II. neq; perpetu-*
um quendam haberent Scriptorem, & majorem suorum
Auctorum partem amiserint, tempora adeò incerta, &
obscura habent, ut neq; quò locò, neq; quò ordine aliquot
Romanorum Pontificum nomina reponerentur, satis li-
queat. Nec diffitetur *Baronius* ad *An. 794. n. I.* *Bo-*
nifacium VI. à quibusdam *Veteribus* non numerari in-
ter *Pontifices*, quamvis sedem tenuerit strangulato *Be-*
nedicto VI. per menses XIII. Idem strenuus utique *A-*
postolicæ sedis Assertor & Vindex ad *A. 897. n. 4.* *In-*
trusi sunt, inquit, *in Cathedram Petri, in solium Chri-*
sti, homines monstrosi, vitâ turpissimi, moribus perdi-
tissimi, usq; quâq; fœdissimi. Et ad *A. 900. n. I.* *Exor-*
sum se esse seculum, scribit, quod sui asperitate, ac boni
sterilitate ferreum, maliq; exundantis deformitate plum-
beum, atq; inopiâ *Scriptorum* appellari consuevit obscu-
rum. His propemodum similia *Bellarmini* sunt, quæ
in *Chronolog. annexa Catalogo Scriptorum Ecclesiasti-*
corum è regione anni 970. habet: *Quando, Vide*, di-
cit, *seculum infelix, in quo nulli Scriptores illustres, nul-*
la Concilia, Pontifices parùm solliciti de Ecclesiâ. Quibus
ita se habentibus mirum non est, inter tanta, tamque
horrenda ejusmodi hominum monstra, irrepsisse et-
iam

iam foeminam, sexum mentitam. Porrò deprehendimus *Luitprandum*, Scriptorem perantiquum, Leonem VII. & Stephanum VIII. planè omittere, nec tamen inde quisquam sapientum concludet, eos non fuisse Pontifices, nisi satius sit, omnia, quæ ante nos gesta sunt, insimulare incertitudinis, (imò & Sacras Literas multoties) quia nihil tam perspicuum à Scriptoribus Ecclesiasticis proponitur, quod non, si corradere diversas opiniones variorum velimus, in dubium possimus vocare. Sed facessant operosæ ejusmodi excusationes, utut satis ad obterendum hostem instructæ. Firmior enim, nec superatu facilis, opinor, in promptu est, *Anastasi* Auctoritas, Scriptoris coævi, nobisque superius prolixè satis memorati, cujus scripta à *Salmasio*, *Frehero*, *Bæclero*, (quibus quantisque Viris?) visaque & lecta, qui negare sustinent, illud *Gerhardi* nostri sibi dictum putent: *Summæ impudentiæ ac audaciæ esse, tam multos & graves Scriptores, quorum consentientium monumentis expressa liquet veritas, mendacii cujusdam arguere.* Iterum ad *Bellarminum* provocamus, qui Chronol. suæ parte alterâ, agens de Joh. XXI. valdè miratur, cur vigesimi primi nomen sumserit, cum nullus vigesimus præcesserit. Non igitur hoc aliam ob causam factum esse judicabat, quàm quia Joh. VIII. illa hujus disputationis materia, suò locò & ordine restituebatur.

IX.

Cæterùm ii, qui multum sibi commenti videntur, quando urgent, fieri non potuisse, ut novem in-

C

te-

tēgros menses intumescens indies magis magisque uter-
rus calliditate vecordis timidæque cujusdam foeminae
celatus fuerit, risu equidem, ast nullâ responsione di-
gni nobis judicantur. Quis enim rerum omnium tam
ignarus est, ut nesciat, haut parùm sæpè in aliis etiam
meretricibus id observatum artis esse, ut mirâ fraude
usque ad supremum partus momentum, absconderint,
quod per flagitium conceperunt. Odiosa sunt perso-
nalia; aliàs dicerem, annum vix decurrisse quintum,
ex quo in patriâ simillimum notabatur exemplum. In-
gentis enim valetudinis occulto foetui titulum præfe-
rens filia, non amicorum modò misericordiam, sed &
publicas communesque totius cœtus preces diu me-
ruit, donec ad extremum, cùm ultimi discriminis tem-
pus adventaret, pudorem, cuius antea potens non e-
rat, tenere amplius non potuit. In infantem igitur
versa hydropisis est, partumque præsentem, ob hoc
ipsum quàm maximè foedum, quod eodem & optimo-
rum parentum sollicitudo, atque eximiæ artis homi-
num industria, omni curâ causam morbi nequicquam
vestigantium, temerariò ausu eludebatur. Reliqua au-
tem omnia, quæ ad tuendos se Adversarii intempesti-
vâ sedulitate excogitant, contorquentque, prætereo li-
bens, majori ex parte ita comparata, ut recitasse ea-
dem, sit simul refutasse. Dico itaque tandem (*Calix-
ti hæc verba sunt in Tr. de Conjug. Cleric.*) quali fide
& probabilitate plerisque rerum, quæ inter homines
gestæ sunt, narrationibus credimus, talem huic quo-
que de Papissa Historiæ tribui oportere.

Nimis juvat *Gregorium Nigrinum* adhuc adducere, antequam finem dicendi faciamus, cujus *L. V. Inquis. c. VIII.* pulcherrima observatio est, quod ab A. R. G. 855. quô ipsô foedissimum prostibulum supremæ inter mortales dignitatis potiebatur, ad annum 1521. cum Megalander noster, Lutherus, in Comitibus VVormatiensibus Rom. Præsulem, tanquam meretricem scortantem, suoque poculo inebriantem Reges terræ proponeret, numerentur anni 666. qui fuit character Bestiæ illius, quam *Johannes in Apoc. cap. 14.* describit, ut proinde non parva res sit, utrum credamus, sedisse olim Joh. VIII. foeminam impurissimam in solio Christi, nec ne, cum multa hîc lateant, de quibus fortè alii nec semel cogitarunt. Hâc enim ratione continua Pontificum Romanorum Successio, quam toties & prope modum unicè jactare eorum clientes solent, non tantum hiulca & interrupta, sed & deformata turpissimè, planeque inepta redditur. Cui addendum est, quod desine-

re deinceps iidem Papistæ necessariò debe-
ant, impudenter negare, inter nos veros &
genuinos esse Sacerdotes, à veris pariter & ge-
nuinis Apostolorum successoribus or-
dinatos, cùm nec ipsi tales habe-
ant, si, ut certè est,

Vera est de Johanne VIII.
Historia.



Vera

Vera sit? an falsò concepta *Johanna Pa-*
pissa?

Eruit è media BEERIUS historia.
Propositum laudo, Patri congratulor æquè,
Atque tibi, ex animo! cumque salute
precor:
Ut valeat Genitor Venerandus! Filius almus
Arte ac ingenio gaudia mille parec!

Georgius Caspar Kirchmajerus,
Orator. P. P. Acad. Senior.



Cara Viri Celebris Soboles, insignis Olivæ
Auree Rame, Tuæ splendor honosque Domus:
Perge sequi Patris Virtutes! Coepta secundet
Numen! Vix votum plenius esse potest.

*Optimi ac Reverendi plurimum Parentis
Laudatissimo Filio,
Morumq; & Studiorum elegantiam
praclaro perpolitog; Juveni,
Amico suo in paucis dilecto,
benè precatus,
scrib.*

PRAESES.

SCinditur Vulgus studia in contraria
Historicum, an fuerit Papa Mulier?

Hic negat ille ait. Dicat uter verum,
AMICE, nobis eruit studium Tuum.
Laudem meretur atque præmium Labor,
Hoc ut Deus mox largiter donet precor.

*Amicitia & honoris ergo
scrib.*


M. Simon Frider. Jeger.



ULB Halle

3

003 792 625




05 A 2399

1017







ubl
ed 5601 no 5
u

1906 GW 6166
Q. B. V.

53

EX HISTORIA ECCLESIASTICA,
DE
JOHANNNE VIII.
PONTIFICE Opt. Max.
Qui fœmina fuit sexum mentita;

in
Electoralia ad Albim Academia,

D.X. Febr. A.R.S. MDCXCII.
Horis antemer. in Auditorio Majori,

disputabunt

PRAESES
**M. CHRISTOPH. CHRISTIAN.
HAENDELIUS,**
Facult. Philos. Adjunctus,

ET RESPONDENS
JOHANNES MARTINUS BEER,
Onoldo-Francus.

WITTENBERGAE,
Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII.

